

**Disputatio medica inauguralis de hydatidum natura, causis, effectibus, et cura ... / Eruditorum examini subjicit Carolus Rattray.**

**Contributors**

Rattray, Charles.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1800.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hh7v5t9e>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS,  
ET CURA.

---

---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS,  
ET CURA.

ANNUENTE DOMINO MCMIII

D. GEORGIUS BARRIS, M.D.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTUS  
INAUGURALIS

AMPLISSIMO SENATUS ACADEMICI CONSILIO,  
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE, EDINBURGAE

PRO

GRADU DOCTORIS

HYDATIDUM

SUBMISIT IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS,  
ET CURA.

CAROLUS RATTAY, M.D.

AGGREGATUS

SOCIETATIS REGIAE EDINBURGAE

Ad diem 24. Junii, hora locoque solita.

Amplissimo Senatus Academici Consilio

Edinburgae, Junii 24. 1903

EDINBURGAE

EXCUBERANT ADAMUS WELLS ET SOCIUS

M. DCCC.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS,  
ET CURA;

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

*GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS RATRAY,

*ANGLUS:*

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

---

Animatum quod est motu cietur suo.

CICERO, *Tusc.* i. 23.

---

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

=====  
M DCCC.



DISPUTATIO MEDICA  
INACQUORALIS  
PATERI

HYDATIDUM

NATURA CAUSAE EFFICACIA  
ET CURA



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

AUCTOR

EDITIONIS

FRIDERICI ADAMI KILII ET SOCIORUM

PATRI,

ET

AVUNCULIS,

PRO

AMORE ET CONSILIIS,

SACRUM

VULT

AUCTOR.

DISSELTATIO MEDICA  
PATRI

IN AUCURIA

DE

A VUNCULIS

HYDATIDUM

IN PARS CAPITIS PECTUS

ET CURA

A HONOR ET CONSILII

SACRUM

INSTITUTUM QUODAM DISSELTATIONE  
CONSTITUTUM EST, QUAE IN AUCURIA  
IN PARS CAPITIS PECTUS  
ET CURA  
AUCTOR

CAP

A

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDATIDUM

NATURA, CAUSIS, EFFECTIBUS,  
ET CURA.

---

**R**EPUTANTI quodnam disputatiunculæ ar-  
gumentum feligerem, hydatidum natu-  
ra, causæ, effectus, et auxilia, quippe res me-  
dicorum attentione digna et nimis forsan hac-  
tenus neglecta, præ cæteris mihi arrisit.

A

CAP.



## CAP. I.

## DE NATURA HYDATIDUM.

VERBUM *Hydatis* in diversas sententias apud medicos accipitur ; quæ renum, placentæ, ovariorumque, hydatides vocantur ; eas naturâ causisque penitùs diversas, aliasque ab his de quibus hìc agitur, inter omnes ferè convenit. Eæ substantiæ quæ placentæ, ovariorum renumque hydatides nuncupantur, aliud nihil sunt quàm intimæ quodam horum viscerum substantiæ vitium ; quod sacculi humore aquoso plenì formam induit : hoc vitio increfcente, humor quem sacculus intus habet, admodum lentus ac tenax, fit ; animalis œconomiam haud parum turbat, et tandem dirum hydropem, qui sacculus audit, mole suâ concitat.

concitat. In hoc vitio, Culleniana hydatidis definitio solùm quadrat :

“ Cystis cuticularis, aqueo humore plenus.”

Hæc facci, seu hydatidis species sæpe, in miram molem crescit. Hydatis autem quam pro opusculi hujus academici argumento selegi, ovi gallinacei magnitudinem rarò excedit ; nec aliud quàm vesicula, animalculis, lactice pellucido, tenui, et aquoso, innatantibus, quæ speciem suam gignunt, et mirum in modum fœtificant, scrutantibus esse videtur.

Hydatis cujus naturam exequi conamur, quamvis, incautiori observatori, vitâ et organis manca, videatur, oculatior tamen observantia tenebras quæ ejus naturam occulit, fugâsse, et vitalitatem ejus in lucem protulisse, videtur.

Hydatis



Hydatis modò vesicula simplex, pellucidula, apparet; modò ex pluribus vesiculis, racemum referentibus, constat; interdum verò est facculus oblongus, perlucidulus atque membranaceus, qui plures vesiculas parietibus ejus annexas, humoreque aquoso suspensas, intùs habet: harum vesicularum magnitudinem, a lapilli lusorii mole, ad talem tenuitatem quæ aciem fugiat, variari, observatione constat. Si hydatidis naturam scalpello scrutaris, membranulâ duplici, quarum extima vi irritabili insigni prædita est, intima verò villosam intestinorum tunicam refert, vestitam invenies.

Hydatis major, ut suprà narravimus, complures minores, magnitudine diversas, complectitur; si unam ex harum majoribus parente sacco liberatam rimabere, eandem figuram externam, eandemque fabricam, invenies.

Hydatides

Hydatides colore vario, modò fuccineo, modò rubicundulo, tinguntur; omniumque, majorum, tùm minorum, figura sphæroëides est.

Doct̃or HUNTER hydatidis grandioris aquulam microscopio inspectam, numerosas hydatides minutulas innatantes exhibuisse narrat: majores, granorum instar, quorum diametros  $\frac{1}{100}$  pollicis partem æquabat, oculo nudo cerni possent; exiguissimæ, particulis sanguinis rubris minores erant: aliæ omni, magnitudine, hanc inter et illam mediâ, præditæ erant.

Idem auct̃or hydatides *gravidas* (sic enim vocat) præ cæteris paucas extitisse notat: omnesque, in vitæ progressu, varias mutationes subire credit: crescunt, fœtificant, intereunt, polypi instar prolem numerosam fovent: fœtus, molli ac villosæ sacculi tunicæ annexus

primùm



primùm conspicitur, et paulatim grandescens in humore pendulus tandem cerni potest : progrediente ætate, fortassis faccus extremus rumpitur, hydatides inclusas, quæ partibus vicinis adhærescere videntur, liberaturas.

Hæc animalcula alias etiam mutationes subisse observatum est. HUNTER duo corpuscula ad hominis, qui ischuriâ, hydatidibus natâ, subito mortuus est, vesicæ collum offensa fuisse narrat : corpuscula fabam magnitudine æquantia, et casei quasi spissitatem habentia, membranulâ involuta erant. HUNTER num eadem hydatidum reliquiæ sint interrogat.

Hydatides in omni ferè corporis parte, abdomine, thorace, cranio, imò cerebro, repertæ sunt : ex variis corporis viis, scretu e pulmone, vomitione e ventriculo, dissectionibusque e vesica, et alvo emissas fuisse, observatione constat.

Nullum

Nullum novi auctorem qui corporis humani hydatides, sensu, motu, aut quovis alio vitæ signo, præditas esse narrat: ratio autem in promptu est; corpus enim humanum antè incidi quàm penitùs refrigeat, cunctaque vitæ indicia evanescant, neque per leges licet, neque fas finit; ista igitur animalcula unà cum corpore quo aluntur, vitæ principio orbentur necesse est: rem igitur ita se habere, minimè mirum esto.

Quò res autem clariùs pateat, animum ad animalium brutorum, ovis nimirùm, hydatides, vertamus. TYSON hydatidi ovillæ hoc cum humana commune esse narrat, quòd ambæ in vesicula pellucidula, humore aquoso, seu lymphæ feri instar, plena, nidulantur: hydatidis autem ovilla hoc distat, quòd collo aut tuberculo, cætero corpore opaciore instructa sit, et alter seu extremus corporis finis, osculo, quod ex parte ejus retractâ formari videtur,



tur, et quo humorem vesiculæ suæ aut ventriculo imbibit, paratus fit.

Hydatides ovillæ e jecinore, scalpelli ope, affabrè divisæ, lucernæque statim objectæ, collum osque capitulum clare atque distinctè moveri, alternèque produci et contrahi observatum fuit: ex parvulo hujus animalculi cautè incisi collo, duæ filices exiguissimæ humori ambienti innatantes conspiciebantur: TYSON animalculum humorem per hæc tenuia fila e corpore in ventriculum, colli sui productione haurire opinatur; idque hirudini aut cuidam volvocis speciei, quæ pabulum, corpusculi sui magnitudinem æquans, unâ vice exforbent, haud ineptè componi existimat.

Cel. etiam BAILIE, in libro qui de *Anatome Morbida* inscribitur, hydatides ovillas, etiam a jecinore sejunctas, vitæ indicia motu suo aliquantisper prodidisse refert: Idem anatomi-

cus hydatides in cerebro etiam ovillo, humanæ propè similes, quæ aquæ tepidæ immiffæ, ultrò citròque, intestinorum more se movebant, reperiffè se narrat.

Fontana quoque eadem se in ovibus comperiffè, et animalcula vesiculæ internæ annexa vidiffè, literis mandavit.

Hæc reputanti hydatides ovium, aliorumque animalium, proprias, vermiculorum species esse certè constabit : hydatidis quidem ovillæ et humanæ differentias manifestas esse haud diffiteor ; hæc autem difficultas, ea, quæ HUNTER, anni 1779 æstate, de hydatide ovillâ observavit, jam dictis conferendo minuitur : quamvis enim animalculorum motum clarè perspexit, et fabricâ eorum hydatidis humanæ structuram accuratè retulit, fœtusque eorum quoque sacco interno adhæsit ; nulla tamen oscula aut capitula, optimo microscopio adju-



tus licèt, cernere potuit : vitæ autem index, si motus illius signum habeatur, reverà adfuit : hydatidis igitur ovillæ capitulum, collum et osculum, haud semper, etiam microscopii ope, perspici nequeunt : quamvis igitur eadem de hydatide humanâ vera sint, indè tamen nullis eam istiusmodi organis instructam esse colligere non licet. Nullus dubito, quin hydatidis humana manifesta vitæ signa exhiberet, si e stirpe, mox post mortem humani corporis, ut ovibus a lanio fieri solet, recideretur : eandem igitur cuidam animalculorum speciei accensere non dubito. In quânam polypi aliquandiu mortui parte, caput, cor, aut ventriculus, sedet, dictu perdifficile foret ; cùm illorum viscerum sedes, animalculo etiam vivo, vix ac ne vix quidem indicari queant : indè tamen nemo animalculum, infimum licèt et vilissimum Naturæ opus, vitâ præditum esse negaret ; imò vis vitalis tenacissimum existere novimus.

Medusa etiam, animantium species oceano  
innatans, massula exanimis, juri gelato haud  
abfimilis, videtur:posito, eandem unum al-  
terumve diem jam mortuam esse; nonne no-  
tas, quibus eam vixisse pro certo cognoscere-  
tur indicare, arduum imò vix possibile, foret.

Quamvis igitur Natura hydatidum fabri-  
cam adeò obscurè finxit, atque fabricata est,  
ut neque sexus, neque organa quibus munera  
sua funguntur, sensu externo dignosci queant;  
easdem tamen vi vitali carere, cæcæ præcipi-  
tisque temeritatis asserere foret.

CAP.



---

  
CAP. II.

## DE CAUSIS.

HYDATIDUM naturâ astrictiùs libatâ, ad obscuriorem rei partem, earum nimirum originem, causasque indagandas, devenio.

Viri celeberrimi SAGAR et SAUVAGES, hydatides aliud nihil quàm venas bibulas, quæ Lymphaticæ vulgò nuncupantur, intumescen-tes, et in varices quasi converfas, esse opinan-  
tur. Hæc autem opinio facilè convellitur; si enim res ita se haberet, fieri ne posset ut hydatides e corpore, vasis, quibus adhærent, quorumque pars sunt, non disruptis, expelle-  
rentur; nonne pessimi inde effectus nosce-  
rentur? Contrà, tantùm abest, ut æger hydati-  
dum

dum expulfione lædatur, ut infignem ægritudinis levationem percipiat. Porrò hydatis plures minores, ut crumena, nummos, intùs habet: fieri autem profectò non potest, ut venæ bibulæ in novas has formas mutantur.

Qui sententiam jam dictam tuentur, ii venas bibulas in hydatidem æquè facilè mutari ac arteriæ et venæ in aneurismata et varices convertuntur, respondere solent: istiusmodi autem responsa, miram hydatidis fabricæ ignorantiam arguit.

Alia est opinio eorum, qui telam corporis cellulofam, inflammatione, alioquive, in hydatides a naturâ suâ degenerare somniant: hoc autem concessò, hydatides stirpi suæ firmiùs adhæreant necesse est; neque aliæ, suâ quæque vesiculâ involuta, in aliarum visceribus latitantes increfcerent, vitæque indicia subindè proderent.



BOERHAAVE atque LE CAT morbidas corporis glandulas, in hydatides abire finxerunt; nihil autem hâc opinatione absurdius; hydatides enim in corporis partibus quæ glandulis carent, sæpiùs repertæ fuerunt: porrò ista sententia iisdem, quibus duas prægressas sententias convulsumus, argumentis refelli potuit.

PALLAS celeberrimus vermiculum seu animal de quo hîc agitur, Tæniam Hydatigenam nominat, hanc illius parentem ratus: ideò in hanc opinationem concessit, quòd tænia nova internodia gignit, et sæpiùs excutit; tæniæ autem extra animalium intestina occasio rarissima est: hujus igitur vermîs internodia, aliâ ratione nullâ quàm venarum bibularum absorptione in varias corporis partes deferri potuisse, pro certo affirmari potest: ea est autem internodiorum magnitudo ut hoc fieri non possit, neque hydatides ex tæniæ ovis oriri concedi potest; hoc enim concessio, parenti tæ-

niæ ;

niæ fimilis necessariè foret proles; quod nemo certè affirmaverit.

Non defunt, qui hydatidum cæterorumque vermiculorum, qui in animalium corporibus hospitantur, originem sanguini circumfluo tribuunt: nonne aquam piscium eisdem innantium, arboresque volucrum in eis nidulantium, generi, originem præbere æquè verisimile videtur?

Sunt etiam qui hydatides, aliosque vermes, qui animalium corpora habitant, putredine seu spontè generatos credunt: hæc autem nōtio, stabilitæ et immutabili Naturæ, quæ inutilissimi etiam vermiculi ortum cæco casui non concedit, legi, quâ cavetur ut cuncta animalia eâdem ratione procrearentur, penitùs quidem adversatur: Naturam igitur, quæ in omnibus sapit, hîc aberrationis a sacrosanctâ regulâ generationis ideò incusare, quòd ejus  
operandi



operandi modus sensibus nostris non percipitur, philosopho indignum est.

Ad summum, omnes hydatidum aliorumque vermium quæ in animalium corporibus habitant, causæ hæcenus prolatae, pariter falsæ et ineptæ videntur.

Hæc de hydatidum ortu pressius atque strictius, præfatus, ad causarum uerisimilium indaginem festinamus.

Hydatidis speciem muscæ cuiusdam quæ in ovium nares, ova sua in sinu frontali ponendi consilio, irrepit prolem, reperire quotidianum est : ova muscaria, humori pellucido innatantia, conspiciuntur ; et hydatidis species, quæ grandescens nervum opticum comprimit, et gignitur : hinc ovis vertigine, quam agricolæ linguâ vernaculâ *stagers* vocant, correptâ concidit.

Alia

Alia est muscæ species quæ equorum genus infectat, et occasione imminens in recto equi dejicientis aut mingentis intestino ova sua parit.

Quo igitur vermiculorum animantibus extraneâ causâ genitorum exempla nobis suppetunt: pluraque quorum lumine hydatidum, cæterorumque vermium, quibus animalia intus infestantur, ortus haud parùm collustrari puto, in medium, si harum pagellarum limites finerent, proferri possent: eisdem verò diutiùs immorari nollem, quippe tyro, cui eorum occasio rarior fuit: aliorum autem auctoritati innixus, hydatides causæ alicui externæ imputandas esse facilè adducor, ut credam.

Amicus qui ad hanc rem paulò incubuit, oves humilibus et paludosis in agris pastos, vitio, de quo agitur, eis, quæ in pascuis celsis atque ficcis pascitant, longè opportuniore existere, haud rarò observâsse se credit.



Si hæc familiaris observatio vera fit, nec dubito quin fit, nonne aquam hydatides in animalium corpora vehere admodum verifimile est? Hæc sententia reputantibus piscium genus sæpiùs verminosum, quàm terrena animalia existere, haud improbabilis videtur; bestiarum etiam ancipitum, ranarum putà pulmones, vermiculis sæpe infestari, observatione constat.

Et fanè mare magnum, fluvii, lacus, fontes, atque scaturigines omnes, animalculis et ovis scotent, ut microscopio indagantibus demonstratur; cùm aquæ igitur usus omnium animantium communis est; nonnè illam vermiculos in animalium corpora vehere verifimillimum est?

Porrò celeberr. SWAMMERDAM, Naturæ arcana explorando indefessus, aëra ipsum ovis, quæ igitur in pulmonem perpetuò hauriuntur, scatere microscopio suo invenit.

Complura

Complura animalculorum ovorumque aliqua in ventriculum et intestina receptorum, ibidemque, quamvis vi succi gastrici deletrici, insolito caloris gradui, perpetuoque intestinorum motui, objiciantur, nidulantium exempla literis mandantur : nulla quidem animalia, tæniæ, lumbrico, aut hydatidi, familia, extra animalium corpora naturaliter existentia, nobis cognita esse fateamur oportet; eadem tamen causâ extraneâ originem ducere, inter multos jam constat.

Sententiæ jamjam prolatae objici potest, quòd hydatides in imis etiam corporis penetrabilibus, perrarò autem in canali alimentario, aliorum vermiculorum instar, reperiantur; huic autem difficultati, hydatidum ova venis bibulis absorpta, illuc vehi, responderi potest.

C A P.



---

  
C A P. III.

## DE VALETUDINE HYDATIDIBUS ORTA.

QUAMVIS hydatidum natura et causa parùm certæ nobis videantur ; vis tamen morbida, non item, hydatides in cerebro, quæ sæpe quidem hospitantur ; morbosque molestissimos, vertiginem, nimirùm, suffusionem DANAES SAUVAGINI, stuporem, delirium, paralyfin, vomitionem, pupillæ amplificationem, tremoremque, facere queant : quin etiam viscus illud nobile, irritando aut comprimendo, phrenitiden, apoplexiam, hydrocephalum internum, morbum comitiale, imò maniam, concitare possunt ; ejusque munera sæpiùs atque plus turbare quàm medici suspicantur, facilè ideò crediderim, quod ovibus aliisque quadrupediis, vertiginem, aliaque dira mala, inferunt.

Plurimà



Plurima quidè̄m quæ hujus rei fidem faciunt, documenta nobis suppetunt; unum tantùm exemplum, a cel. WEPFER decerptum, narrabimus: Pecus cornigerum armenta, præfertim hydatidibus cephalicis, in Helvetiâ, insigniter opportuna existere; a chirurgo fide digno, se certiozem factum esse refert: Primamali indicia sunt, vertigo et stupor: hoc percepto, armentarii animalis occiput, pone cornua malleolo, feriunt, ut sono peculiari et insolito discernant, cavernulæ intùs subsint necne: si res ipsa ita se habere videatur, partem terebrâ illicò pertundunt; fistulâque perforamen admisâ in cavum, hydatides, si in cerebri superficie fortè nidilantur, exsugunt; et sic morbo interdum medetur: quòd si hydatides sedem suam figant in cerebri penetralibus, vel adeò profundè ut exsugi nequeant, animal occiditur.

Idem chirurgus complura armenta terebratione jam dictâ sæpe sanata fuisse, eidem vi-

ro celeb. confirmavit. WEPFER ipse insignem hydatidum copiam bovi, vertigine atque stupore laboranti, eâdem arte exsuctam vidisse se narrat; hîc, persistente vertigine, bos necatus est: compluresque hydatides in cerebri ventriculis compertæ sunt.

Hydatides in pulmone, hydrothoracem, nidulantes, pneumoniam cunctaque mala quibus spiramentum animæ patet, concitare queant; phthifin proclivibus non solum facere, sed etiam mali cursum festinare, omniaque symptomata graviora reddere possunt. Generosus, mecum, ægrotantis, cui hydatides pneumoniæ indicia excitârunt, historiam nuper communicavit: æger magnâ spirandi difficultate, obtuso lateris dextri dolore, tuffique frequente, laborabat; arteriæque solito frequentiùs micabant: Chirurgus arcessitus, sanguinem incisâ venâ misit; ægritudine nil inde levatâ, remedium iteravit, at symptomata

tamen



tamen nihil remisferant : sic frustratus, invaliditudinem diuturniorem esse quàm primo putarât, et vomicam subesse ratus, thoracem solito more terebravit : nulla autem neque vomica neque adhæfio inventa est ; pulmonarius paucis post diebus tussi vehementiori correptus, binas ternasve hydatides excreavit ; exinde meliusculè indies se habere cœpit, tandemque penitùs convaluit.

Mulieris quæ hydatides haud minùs cxxxv spatio quinquemestri excreavit, historia in Actis Medicis memoriæ proditur ; vesiculæ, quæ vermiculos habebant, excreatione semper disruptæ, ejiciebantur : Hæc ægra quadriennium ante hydatidum expulsionem ægrotare cœpit ; primò, animum demissum insignemque difficultatem spiritûs querebatur : hæc signa levis talorum tumor, qui brevi evanuit, excipiebat ; quarto ab ægritudine anno, tussi gravi, ingentique spirandi difficul-

tate



tate, fatigata est, magnamque pituitæ tenacis vim subindè excreabat; hæc valetudo perstitit usquequò hydatides excreare cœperit; et quinquemestri spatio, ingenti numero suprâ memorato se expedivit.

MORGAGNI literis mandavit exemplum in quo hydatides pericardio et cordi etiam pendulæ adhærebant: gravissima symptomata, animi, putà, deliquia, palpitatio cordis, ingens præcordiorum anxietas, et etiam mors improvisa et inopinata, originem ex hoc vitio ducere queant.

Quamvis hydatides sæpe in capitis et thoracis visceribus nidos suos fingunt et construunt, in abdomine tamen, hepate imprimis, quinquagies frequentiùs quàm alibi corporis reperiuntur. Mirum hepatis in acervum hydatidum immanem degenerati exemplum, cel. RUYSCH literis mandavit: Hujus visceris in-

cifi

cifi penetralibus, abdominisque parietibus, adhærentes compertæ fuerant. Chirurgus, arte suâ rudis, morbum hydrothoracem hallucinatus, paracentesin commendavit. RUYSCH intereâ accerfebatur; sed ob valetudinem prodire non potuit: chirurgus autem haud diutiùs moratus, dextra ægri hypochondria pertulit: ingens hydatidum vis illicò, e latere erupuit: chirurgus attonitus panniculum vulneri adhibuit: æger autem pòst paulò mortuus est.

Hydatides diaphragmati, lieni, aliisque abdominis visceribus, sæpißimè adhærescunt; et ascitæ ansam non rarò præbent.

LE CAT pertinacem intestinorum affectionem memorat, quæ haud antè sanata est, quàm hydatidum vis dejecta fuerat.

In opere cui titulus, "Transactions for improving Medical Knowledge," hominis uri-



næ suppressione, hydatidibus ortâ, subito necati, exemplum memoriæ proditur : Æger quatuor vel quinque hebdomodas dolorem, plus minus gravem, et urinæ difficultatem, querebatur; quæ ipse calculo seu arenæ, famulantes verò vitio cuidam venereo, tribuerunt : chirurgus qui valetudinem dignoscendi atque regendi causâ arcessēbatur, membrum genitale scrutatus, nullo luis venereæ indicio invento, phymosin naturalem reperit ; interroganti de urinæ difficultate, æger, se gravi dolore diu affectum fuisse, jam verò urina invitè reddita, meliusculè sibi esse respondet : per hanc interrogantiunculam in lecto sedere poterat : horâ autem exinde lapsâ, se movere conatus, improvisâ vi lethi raptusest.

Cadavere inciso, nihil præter naturam in cerebro aut thoracis visceribus inventum est. Tumor abdominis insignis aderat, immani vesicæ mole effectus, quæ octo saltem pollices supra



supra ossa pubis fundo, tres tantum digitos latos a coli arcu distante, ascendebat, urinam emissam quinque vel sex libras aequabat: magnus vesicae collum inter et intestinum rectum tumor, qui hoc penitus implevit; illamque sursum trahit, partem abdominis anticam versus inventus est; eodem inciso, magna aquae hydatidumque vis erupuit: alii, etiam praeter hunc, tumores, qui hydatides intus habebant, ad vesicae collum extitere.

---

#### CURATIO.

UBI morbi cujusvis sedes et signa, quibus ab aliis affectionibus secernatur, manifesta sunt, medendi consilia sponte quasi indicantur. In malo autem de quo agitur, res longe aliter se habere lugendum est; nulla enim ferè indicia sunt, quibus hydatides existere cognosci possunt. At nihilò tamen minus medici duas curandi rationes, artem nimirum chirurgicam,

cam, et auxilia his vermibus delendis idonea, statuunt: horum autem remediorum, illud non solum periculofum verum etiam difficillimum est; huic igitur in omnibus ferè exemplis quæ hydatidibus pendere medico videantur, soli forsan fidendum est.

Omnibus remediis quæ hydatides delendi vi pollent, hydrargyrus palmam præcipere videtur. Exemplum in opere cui titulus “*Medical Transactions, vol. 2.*” habemus, quod, aliis medicamentis frustra adhibitis, hydrargyro muriato miti sanatum fuit. Unguentum autem huic proposito, accomodatiùs mihi videtur.

---

JAMQUE pensum hoc academicum, quamlibet mancum, ad umbilicum duximus: Quis est autem, qui in tantis tenebris nihil offendat?

F I N I S.